



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI
TAS

AD THUCYDIDIS LIBRUM VII

QUAESTIONES PHILOLOGICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS

DIE XXIX. MENS. NOV. A. MDCCCLXXXVI

HORA XII

IN PUBLICO DEFENDET AUCTOR

FRANZ SCHROETER

BORUSSUS OCCIDENTALIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ADOLF GEHRT, CAND. PHIL.

OTTO GEHRT, STUD. PHIL.



REGIMONTI BORUSSORUM.

MDCCCLXXXVI.

TYPIS LEUPOLDIANIS.


HARVARD COLLEGE
DEC 11 1891
LIBRARY

Ludovico Jeep.

Cum tanta auctoritate Thucydides antea floreret, ut sanctitas, quam historia eius habebat, etiam textui vindicaretur, proximis decenniis magna facta est iudicii commutatio. Nam ut omittam, quod fides historiae in dubium vocata est, in textu quidem tractando viri docti, sicut fieri solet, si res in contrarium vertitur, modum longe excesserunt. Qui quamquam constat opus omnibus partibus perfectum expletumque ex Thucydidis manibus non evasisse, tamen omnia eadem aestimatione metientes asperitates Thucydidis opere indignas ideoque eliminandas esse censuerunt. In eorum virorum numero imprimis referendus est Herwerdenus, cuius emendandi ratio alioquin cautissime accipienda prorsus etiam refellitur in libro septimo,[1]) quem omnino non absolutum esse multis et gravissimis argumentis demonstrari potest, ut, cum non idem severum iudicium atque alii libri sustineat, in eo plurima eorum, quae Herwerdenus quidem magistellis sciolisque tribuenda esse putat, potius ad Thucydidem ipsum referenda sint. Cuius libri indolem ac naturam cum mihi explicandam proposuerim, non est consilium attingere controversiam ultimis diebus excitatam, utrum Thucydides ipse, an redactor quidam ex Thucydidis elaboratis commentariisque opus

1) cf. Studia Thucydidea 1869 p. 92 ff. Mnemos. Nov. Ser. VIII, p. 292 ff. Editionis (1880) partem IV.

composuerit, sed paululum ad difficillimam illam quaestionem solvendam me collaturum esse spero.

Initio quidem libri VII omnia perpetua oratione narrantur: Syracusani maximis cladibus afflicti et paene seclusi muro duplici, quem Athenienses a portu magno usque ad mare, quod a septentrione Syracusarum est, aedificare susceperant, iam de urbe Atheniensibus dedenda deliberabant, cum Lacedaemonii Gylippo duce aliis copiis ex Sicilia adscitis auxilium tulerunt (cap. 1 et 2). Qui Labdalo castello expugnato statim, ne usque ad mare Athenienses opus suum propagare possent, murum transversum in septentrionali regione exstruere coeperunt; simul impetu in murum Atheniensium facto magnam partem copiarum ad custodiam consumere Niciam coëgerunt, qui propterea terra non iam hostibus parem fore ratus, cum in mare totum discrimen rerum transferre constituisset, Plemmyrium ad ostium magni portus situm communivit (cap. 3—4, 5). Sed brevi damna continuabantur damnis: milites classici, ubi e castello exierant, ab hostium equitibus trucidabantur, et postquam duobus proeliis commissis secundo Athenienses victi sunt, murus transversus ultro Atheniensium munimenta ductus est, quo facto iam fieri non potuit, ut urbs Syracusanorum includeretur (cap. 4,6—6). Atque cum Corinthii Leucadii Ambraciotae Syracusanis auxilio advenissent, et Gylippus in Siciliam, alii legati Corinthum Lacedaemonemque, ut recentas copias allicerent, profecti essent, tum Nicias de prospero rerum successu desperans, praesertim cum hostes etiam ad rem navalem incubuissent, epistulam misit Athenas, qua tota rerum commutatione nuntiata aut exercitum esse revocandum aut alias non parvas copias mittendas censebat (cap. 7 et 8).

Quae epistula, quamquam summa eius praesumpta est, nobis tamen offertur capitibus 11—15, in qua praeterea

maxime offendor, quod nihil novi afferens narrationis progressum moratur, immo nonnulla eorum, quae iam in prioribus capitibus legimus, ad verbum fere expressa retractat, ut mihi persuasum sit, Thucydidem praeter ceteros fontes ab utrisque partibus, sicut solebat, derivatos etiam illam Niciae epistulam adhibuisse ad eam rerum Siciliensium partem quae antecessit illustrandam. Quod si verum est, fieri non potuit, ut ipsam epistulam postea adderet. Sed quatenus illa epistula sic usus sit, ut recte intellegamus, diligenter eam per singula capita persequamur.

Atque in cap. 11 hoc scribit Nicias: cum ea, quae usque eo gesta essent, multis epistulis Atheniensibus se nuntiasse, tum in tanto rerum discrimine sibi ad illorum consilium recurrendum esse. Nam cum primum multis proeliis Syracusanos devicissent murumque suum prope perfecissent, Lacedaemoniorum aliorumque ex Sicilia coactorum adventu rerum statum adeo commutatum esse, ut Athenienses quamvis uno proelio superiores altero in muros reiecti ipsi ab hostibus obsiderentur; quos propter inopiam copiarum, cum permultis militibus ad excubias agendas opus esset, aggredi non auderent. Neque cum iam Syracusanorum murus transversus Atheniensium opera superasset, spem esse nisi maximis copiis hoc muro destructo, se urbem circumvallaturos esse.

Hoc quidem loco nullas novas res contineri facile priora capita comparanti elucebit. Nam de adventu Gylippi eiusque copiarum dilectu iam capite 1, 3—5, de duobus illis proeliis captt. 5 et 6, de multorum militum in operibus custodiendis consumptione cap. 4,3 edocti sumus, quae omnia cum antea multo planius, quam in epistula, explicentur, non ex epistula sed ex aliis fontibus a Thucydide hausta esse facile videmus. Sed certe prima verba epistulae: *τὰ μὲν πρότερον πραχθέντα, ὦ Ἀθηναῖοι, ἐν ἄλλαις πολλαῖς ἐπιστολαῖς ἴστε* Thucydides imitatus est in cap. 8,1: *ἀγγέλλων*

πολλάκις μὲν καὶ ἄλλοτε καθ' ἕκαστα τῶν γιγνομένων.[1]) Et in cap. 6,4, ubi iam legimus, Atheniensium consilium, ut urbem Syracusanorum includerent, muro transverso perfecto irritum redditum esse, fortasse hoc enuntiatum: καὶ τῇ ἐπιούσῃ νυκτὶ ἔφθασαν παροικοδομήσαντες καὶ παρελθόντες τὴν τῶν Ἀθηναίων οἰκοδομίαν, ὥστε μηκέτι μήτε αὐτοὶ κωλύεσθαι ὑπ' αὐτῶν ἐκείνους τε καὶ παντάπασιν ἀπεστερηκέναι, εἰ καὶ κρατοῖεν, μὴ ἂν ἔτι σφᾶς ἀποτειχίσαι. Thucydides amplificavit ex epistulae verbis in cap. 11, 3: οἱ δὲ παρῳκοδομήκασιν ἡμῖν τεῖχος ἁπλοῦν, ὥστε μὴ εἶναι ἔτι περιτειχίσαι αὐτούς, ubi quidem in priore loco accuratior temporis descriptio etiam alterum fontem redolet.

Deinde init. cap. 12 Nicias edocet Athenienses, legatos ab alteris partibus missos esse in Peloponnesum, ut opportuno rerum statu nuntiato recentes copias allicerent, Gylippumque operam dare, ut Siciliensium civitates usque eo pacatas ad foedus Syracusanorum perduceret et praeter copias etiam instrumenta navalia compararet. (§ 2.)

Atque hic conspicua est conspiratio cum cap. 7, 2, ubi haec scripta invenimus: καὶ ὁ Γύλιππος ἐς τὴν ἄλλην Σικελίαν ἐπὶ στρατιάν τε ᾤχετο καὶ ναυτικὴν καὶ πεζικὴν ξυλλέξων, καὶ τῶν πόλεων ἅμα προσαξόμενος εἴ τις ἢ μὴ πρόθυμος ἦν ἢ παντάπασιν ἔτι ἀφεστήκει τοῦ πολέμου. πρέσβεις τε ἄλλοι τῶν Συρακοσίων καὶ Κορινθίων ἐς Λακεδαίμονα καὶ Κόρινθον ἀπεστάλησαν ὅπως στρατιὰ ἔτι περαιωθῇ κτλ. quae respondent verbis in cap. 12 init: Πεπόμφασι δὲ καὶ ἐς Πελοπόννησον πρέσβεις ἐπ' ἄλλην στρατιάν, καὶ ἐς τὰς ἐν Σικελίᾳ πόλεις Γύλιππος οἴχεται, τὰς μὲν καὶ πείσων

---

1) Quare tantum abest, ut Stahlio in cap. 11 (edit. II 1874) cum codice Vaticano „πολλαῖς" ante „ἐπιστολαῖς" elidenti obsequar, ut contra collatione verborum in cap. 8,1: „πολλάκις καὶ ἄλλοτε" commotus illud vocabulum retineatur necesse esse credam. (cf. ed. Poppo-Stahl 1882 adn. crit. ad cap. 11.)

ξυμπολεμεῖν ὅσαι νῦν ἡσυχάζουσιν, ἀπὸ δὲ τῶν ἔτι καὶ στρατιὰν πεζὴν καὶ ναυτικοῦ παρασκευὴν ἣν δύνηται ἄξων, quamquam ex illius loci auctiore explicatione intellegi potest, Thucydidi praeter epistulam illo loco etiam aliis fontibus ab alteris partibus oblatis uti licuisse.

Fortasse etiam similis orationis forma, quae redit in cap. 46. *Γύλιππος δὲ ... ἐς τὴν ἄλλην Σικελίαν ᾤχετο αὖθις, ἄξων στρατιὰν ἔτι κτλ.* ex epistulae verbis a Thucydide usurpata est.

A cap. 12, 3 usque ad cap. 14, 1 pertinet causarum expositio, cur Atheniensium res navales in maximis angustiis essent. Naves enim umore paene putrefactas in terra exsiccandi occasionem non dari, cum aliis navibus hostium impetus, qui pari iam classe fierent, repellendi essent, aliis ostium magni portus, ut commeatus supportari posset, tuendum. Classicos autem aut cum egrederentur, ut lignum vel frumentum vel aquam sibi pararent, ab hostium equitibus trucidari, aut classem deserere, quod partim initio coacti essent naves conscendere, partim spe praemiorum falsi, unde, cum minimus esset numerus bonorum classicorum, summam molestiam exortam esse.

Ex quibus verbis Thucydides, quippe qui omnium rerum, quas Nicias afferebat, fidem praestare non posset, ea tantum sibi sumpsit, quae vere facta esse scivit, sicut invenimus in cap. 7, 4: *οἵ τε Συρακόσιοι ναυτικὸν ἐπλήρουν καὶ ἀνεπειρῶντο ὡς καὶ τούτῳ ἐπιχειρήσοντες*, quod idem fere in epistula legitur in cap. 12, 5: *φανεραὶ δέ εἰσιν ἀναπειρώμεναι καὶ αἱ ἐπιχειρήσεις ἐπ' ἐκείνοις.* Neque de classicorum militum interitu actae rei modum excedit atque fere isdem verbis epistulae rem declarat in cap. 4, 6: *ὥστε καὶ τῶν πληρωμάτων οὐχ ἥκιστα τότε πρῶτον κάκωσις ἐγένετο. τῷ τε γὰρ ὕδατι σπανίῳ χρώμενοι καὶ οὐκ ἔγγυθεν, καὶ ἐπὶ φρυγανισμὸν ἅμα ὁπότε ἐξέλθοιεν οἱ ναῦται,*

ὑπὸ τῶν ἱππέων τῶν Συρακοσίων κρατούντων τῆς γῆς διεφθείροντο. Ad hoc confer epistulae verba in cap. 13,2: τὰ δὲ πληρώματα διὰ τόδε ἐφθάρη τε ἡμῖν καὶ ἔτι νῦν φθείρεται, τῶν ναυτῶν τῶν μὲν διὰ φρυγανισμὸν καὶ ἁρπαγὴν καὶ ὑδρείαν μακρὰν [1]) ὑπὸ τῶν ἱππέων ἀπολλυμένων. Atque hic profecto cum singulorum enuntiati membrorum similitudines tum vocula „φρυγανισμός" alioquin apud vetustiores quidem scriptores inusitata, totam illam enuntiationem in cap. 4, 6 ex Niciae epistula translatam esse demonstrat. Quod vocabulum immutatum Thucydides recepit, quamquam vocem „ὑδρεία", quae in Thucydidis opere hoc tantum loco epistulae invenitur, verbis „τῷ ὕδατι σπανίῳ χρώμενοι" eum circumiisse facile intellegimus.

Deinde Nicias in cap. 14,2 pergit: cum ipse illas omnes difficultates evertere non posset neque haberet, unde copias recentes in naves imponeret, quod iam Naxus et Catana, socia oppida Siciliae, opes praebere desiissent, brevi, si etiam eae Italiae regiones, unde frumentum caperent, ad hostes defecissent, debellatum fore. [2])

Ex tali oratione, quippe quae Atheniensium angustias

---

1) Thucydidis igitur ex epistula translatione in cap. 4, 6: „ὕδατι σπανίῳ χρώμενοι καὶ οὐκ ἐγγυθεν" et unius codicis Vaticani lectio in cap. 13, 2: „ὑδρείαν μακράν" firmatur contra alios codd., qui „μακράν" post „ἁρπαγήν" ponunt, et Classeni (editio pars VII² 1884 p. 21) interpretatio „μακράν" adverbii loco accipiendum et ad „ἀπολλυμένων" trahendum esse („entfernt von ihren Standquartieren") retunditur.

2) Hoc loco omnino non assentior viris doctissimis Cobet (Variae lectiones ²/1873 p. 117), Pluygers (Mnemos. N. S. II 1862 p. 93) Stahl (edit. p. II p. XIX) contra omnium codicum consensum „ὁ πόλεμος" post „διαπεπολεμήσεται" delentibus, quod Thucydides in cap. 25 extr. solum „διαπεπολησόμενον" scripserit. Equidem non ex Thucydideo sermone hunc locum iudicandum esse censeo, cum non Thucydidis, sed Niciae verba habeamus; quae quanta diligentia Thucydides secutus sit, cum paulo supra satis cognoverimus, hanc quoque Niciae figuram eum retinuisse mihi constat.

quam maxime extollere intenderet, Thucydidem in historia conscribenda nihil proficere potuisse apparet.

Iam a cap. 14,4 clausula epistulae initium capit: postquam paucis verbis Nicias Atheniensium animos infirmos designavit addiditque, nihil aut ducibus aut militibus culpae esse dandum, enixe adhortatur, ut aut totum exercitum domum redire iuberent aut alias copias prioribus non minores et classem et pecuniam non exiguam mitterent Niciaeque ex renibus laboranti successorem, atque ea haud cunctantes primo vere, ne hostes ex Peloponneso Siciliaque opibus collectis praeverterent.

Ac primum quidem adnotandum est, Thucydidem ex hac epistulae parte ea verba decerpsisse, quae postea eundem Niciam in cap. 48,4 ubi in imperatorum consilio Niciae sententia oratione declinata continetur, loquentem facit: *ἐπιστάμενος τὰς Ἀθηναίων φύσεις*, quae eadem in cap. 14,4 oratione recta dicuntur: *τὰς φύσεις ἐπιστάμενος ὑμῶν.*

Fortasse etiam in cap. 77,2, cum Niciae contionanti attribuit verba: *ὁρᾶτε ὡς διάκειμαι ὑπὸ τῆς νόσου*, ille epistulae locus in cap. 15,1, ubi Nicias morbum suum memorat, ante oculos obversabatur. Nam Thucydidem orationes composuisse, quales habuisse oratores ex sua sententia verisimile fuisset, ipse noto illo loco in cap. 22 libri I[1]) testatus est.

Praecipue autem exhibenda est adhortatio illa Atheniensium in cap. 15,1: *ἀλλ' ἢ τούτους μεταπέμπειν δέον ἢ ἄλλην στρατιὰν μὴ ἐλάσσω ἐπιπέμπειν καὶ πεζὴν καὶ ναυτικὴν κτλ*, quae certe ex epistula derivata iam nobis occurrit in cap. 8, 1: *εἰ μὴ ὡς τάχιστα ἢ σφᾶς μεταπέμψουσιν ἢ ἄλλους μὴ ὀλίγους ἀποστελοῦσιν, οὐδεμίαν εἶναι σωτηρίαν.*

---

1) *ὡς δ' ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ' εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται.*

Qua re cum procemium et illam quo tota tendit epistula adhortationem Atheniensium expressa esse videamus aliasque res maxime memorabiles a Thucydide summo iudicio ex epistula depromptas, firma excitatur opinio, Thucydidem epistulam in textum inserere noluisse, qua exempta profecto nihil desideraturi essemus. Nunc vero, cum epistula in textu supersit, iudicandum est, extremam manum ad librum non accessisse; id quod inde iam colligi potest, quod vir doctissimus v. Wilamowitz-Möllendorf[1]) observavit: exempla tabularum a Thucydide non praeberi nisi in imperfectis operis partibus.[2])

Etiam aliis locis nonnulla ad similem fontem retulerim ut feci supra in epistula enarranda, cuius quidem fontis nomen Thucydides in contextu narrationis exprimere noluit. Eiusmodi loci nobis occurrunt in captt. 36, 4 et 5; 49,2 et 62,2.

In cap. 36 quidem narratur, Syracusanos, priusquam Demosthenes cum auxilio advenisset, rostris navium corroboratis, ut facilius Atheniensium tenues naves perrumperent, in magno portu Athenienses adoriri constituisse, neque enim angusto loco Athenienses agilitate navium qua maxime excellebant, uti posse neque victos habituros esse, quo se reciperent, cum totam fere oram Syracusani obtinerent.

1) Hermes XII p. 338.

2) Cum igitur tabulas publicas diligentissime a Thucydide habitas esse cognoverimus,*) etiam recte iudicabimus de loco illo libri V cap. 47, 1—8, qui continet foedus inter Athenienses Argivos Mantinenses Elaeos ictum, quod in marmore insculptum nuper Athenis inventum est: omnia, quae in textu ab illa inscriptione abhorrere Kirchhoffius summa sagacitate demonstravit (Hermes XII p. 368—381) non Thucydidi tribuenda esse; neque etiam sicut Kirchhoffius vult (l. c. p. 381) librariorum neglegentiae, sed sicut Classenus censuit (praef. ad libr. VIII 1878 p. XXVI) iam ei, qui Thucydidi illam inscriptionem transscripsit.

*) Cf. etiam Kirchhoff „Ueber die von Thucydides benutzten Urkunden" — Monatsberichte der Berl. Akademie p. 834—854 et Sitzungsberichte der Königl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin, 1882 p. 909—940, 1884 p. 399—416.

Confer verba Thucydidis § 4: *τοῖς δὲ Ἀθηναίοις οὐκ ἔσεσθαι σφῶν ἐν στενοχωρίᾳ οὔτε περίπλουν οὔτε διέκπλουν, ᾧπερ τῆς τέχνης μάλιστα ἐπίστευον κτλ.* et § 5: *τὴν γὰρ ἀνάκρουσιν οὐκ ἔσεσθαι τοῖς Ἀθηναίοις ἐξωθουμένοις ἄλλοσε ἢ ἐς τὴν γῆν, καὶ ταύτην δι' ὀλίγου καὶ ἐς ὀλίγον, κατ' αὐτὸ τὸ στρατόπεδον τὸ ἑαυτῶν.*

Demosthenes autem, cum recentibus copiis advenisset, cognito, quae pericula Atheniensibus in portu pugnare coactis futura essent, impense Atheniensibus persuadere studuit, ut Catanam evaderent; cf. cap. 49, 2: *ταῖς τε ναυσὶν ἐν πελάγει καὶ οὐκ ἐν στενοχωρίᾳ, ἣ πρὸς τῶν πολεμίων μᾶλλόν ἐστι, τοὺς ἀγῶνας ποιήσονται ἀλλ' ἐν εὐρυχωρίᾳ, ἐν ᾗ τά τε τῆς ἐμπειρίας χρήσιμα σφῶν ἔσται καὶ ἀναχωρήσεις καὶ ἐπίπλους οὐκ ἐκ βραχέος καὶ περιγραπτοῦ ὁρμώμενοί τε καὶ καταίροντες ἕξουσι.*

Postremo Nicias in contione sua ante extremam pugnam navalem habita ad summam audaciam inflammabat milites hoc afferens (cap. 62, 4): *ἐς τοῦτο γὰρ δὴ ἠναγκάσμεθα ὥστε πεζομαχεῖν ἀπὸ τῶν νεῶν, καὶ τὸ μήτε αὐτοὺς ἀνακρούεσθαι μήτ' ἐκείνους ἐᾶν ὠφέλιμον φαίνεται, ἄλλως τε καὶ τῆς γῆς πλὴν ὅσον ἂν ὁ πεζὸς ἡμῶν ἐπέχῃ πολεμίας οὔσης.*

Cum autem facile intellegatur, loco illo capitis 49 argumentum paragraphi 4 capitis 36 et loco capitis 62 argumentum paragraphi 5 capitis 36 explanari, ut duas sententias capitum 49, 2 et 62, 4 in cap. 36 contineri videamus, suspicio nobis in mentem veniat necesse est, illos locos posteriores ex priore cap. 36 effluxisse, id quod secundum Thucydidis rationem, quam ex Niciae epistula cognovimus certum fore mihi videtur, si totam capitis 36 explicationem, quae exordium capit a verbo *ἐνόμισαν* (§ 3), verissimum fontem neque ex ingenio a Thucydide additam esse demonstratum fuerit. Huic autem rei confirmandae succurrit parenthesis, quae exstat in cap. 36, 6:

ὅπερ καὶ ἔβλαπτε μάλιστα τοὺς Ἀθηναίους ἐν ἁπάσαις ταῖς ναυμαχίαις, οὐκ οὔσης αὐτοῖς ἐς πάντα τὸν λιμένα τῆς ἀνακρούσεως ὥσπερ τοῖς Συρακοσίοις, quam adeo non cum Philippi,[1]) viro doctissimo, a librario quodam interpolatam esse censeo, quia idem argumentum habeat ac praegressa verba: *τὴν γὰρ ἀνάκρουσιν οὐκ ἔσεσθαι κτλ*, ut contra credam, ex ea parenthesi elucere, in cap. 36 vera vestigia fontis Syracusani contineri; nam Thucydides illa parenthesi enixe ea, quae Syracusani eventura esse putabant, et quae vere facta sunt, secernens Syracusanorum deliberationes aequas ponit rebus re vera gestis. Quid? fieri nonne potuit, ut Thucydides relationem sententiarum in comitiis Syracusanorum pronuntiatarum ante oculos haberet? Sed iam satis est intellexisse, illa, quae in cap. 36 leguntur, ex sincero fonte hausta esse. Quae cum ita sint verisimile fit Thucydidem in summa tabularum publicarum existimatione sicut ex epistula, etiam ex hoc fonte, ubicunque potuit, hausisse. Id autem eo confidentius dixerim, quia iterati loci, de quibus agitur, exstant in orationibus habitis. Nam manifestum est, in capitibus 48 et 49 orationes Niciae et Demosthenis obliqua locutione adumbratas contineri. Ut igitur iam supra ex epistula verba quaedam in Niciae orationem illata esse vidimus (cf. p. 11), sic etiam in Demosthenis oratione factum esse non alienum videtur. Neque hic capitis 49,2 locus ad id enuntiatum solum respectat, quod ex cap. 36 exhibui, sed cum aliis quoque capitis 36 conspirat. Nam ut ea sententia, qua significatur Atheniensibus loco aperto summam rei navalis peritiam adiumento fore: *ἐν εὐρυχωρίᾳ ἐν ᾗ τά τε τῆς ἐμπειρίας σφῶν ἔσται* accurate respondet verbis capitis 36,4: *τοῖς δὲ Ἀθηναίοις οὐκ ἔσεσθαι σφῶν ἐν στενοχωρίᾳ οὔτε περίπλουν οὔτε διέκπλουν, ᾧπερ τῆς*

---

1) Fleckeiseni annales 121 (1881) p. 97.

τέχνης μάλιστα ἐπίστευον, ita etiam figuram illam in cap. 49,2: ἐν στενοχωρίᾳ, ἣ πρὸς πολεμίων ἔσται originem duxisse elucet ex cap 36,3: τὴν ἐν τῷ μεγάλῳ λιμένι ναυμαχίαν..... πρὸς ἑαυτῶν ἔσεσθαι.

Jam vero quae persaepe legerim verba „καλὸν τὸ ἀγώνισμα" sive „καλὸς ὁ ἀγών", num item ad unum fontem referri possint, inquirenti mihi locus capitis 56 maxime fontem redolere videbatur, unde alii loci hausti sunt. In cap. 56 et parenthesi: ὅπερ ἦν (§ 2) et insequenti adnexu (§ 3): καὶ ἦν ἄξιος ὁ ἀγών constat, explicationem in cap. 56 a verbo νομίζοντες usque ad θαυμασθήσεσθαι fontem prodere. Ibi antem dictum est, Syracusanos putasse, summam apud omnes Graecos gloriam se habituros esse, si Athenienses devicissent; omnes enim Graecos partim iam ab Atheniensibus subactos partim in illorum potestatem venturos a se liberatum iri: καὶ εἰ δύναιντο κρατῆσαι Ἀθηναίων τε καὶ τῶν ξυμμάχων καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν, καλὸν σφίσιν ἐς τοὺς Ἕλληνας τὸ ἀγώνισμα φανεῖσθαι· τούς τε γὰρ ἄλλους Ἕλληνας εὐθὺς τοὺς μὲν ἐλευθεροῦσθαι, τοὺς δὲ φόβου ἀπολύεσθαι κτλ.

Ac subinde redit eadem sententia in eiusdem capitis paragrapho 3, ut iam animadvertit Cwiklinski:[1]) καὶ ἦν δὲ ἄξιος ὁ ἀγὼν κατά τε ταῦτα καὶ ὅτι οὐχὶ Ἀθηναίων μόνων περιεγίγνοντο, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων πολλῶν ξυμμάχων.

Deinde postquam in captt. 57 et 58 omnia et Atheniensium et Syracusanorum auxilia enumerata sunt, narratio init. cap. 59 excipitur sententia certe ex cap. 56 repetita: οἵ τε οὖν Συρακόσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι εἰκότως ἐνόμισαν καλὸν ἀγώνισμα σφίσιν εἶναι ἐπὶ τῇ γεγενημένῃ νίκῃ τῆς

1) Hermes XII p. 64.

ναυμαχίας ἑλεῖν τε τὸ στρατόπεδον ἅπαν τῶν Ἀθηναίων τοσοῦτον ὄν, καὶ μηδὲ καθ' ἕτερα αὐτοὺς, μήτε διὰ θαλάσσης μήτε τῷ πεζῷ διαφυγεῖν.

Eandem sententiam Thucydides intulit in Gylippi contionem (cap. 66), nisi forte, sicut orationis natura fert, id quod in cap. 56 dictum est: Athenienses omnes Graecos in potestatem suam redigere in animo habere, magis illustratur: *ὅτι μὲν καλὰ τὰ προειργασμένα καὶ ὑπὲρ καλῶν τῶν μελλόντων ὁ ἀγὼν ἔσται . . . σημανοῦμεν. Ἀθηναίους γὰρ ἐς τὴν χώραν τήνδε ἐλθόντας πρῶτον μὲν ἐπὶ τῆς Σικελίας καταδουλώσει, ἔπειτ', εἰ κατορθώσειαν, καὶ τῆς Πελοποννήσου καὶ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος . . . τὰς μὲν νενικήκατε ἤδη ναυμαχίας, τὴν δ' ἐκ τοῦ εἰκότος νῦν νικήσετε.*

Et in extrema contione, in cap. 68,3, rursus pugnam esse insignem praedicatur: *τὸ δὲ πραξάντων ἐκ τοῦ εἰκότος ἃ βουλόμεθα τούσδε τε κολασθῆναι καὶ τῇ πάσῃ Σικελίᾳ καρπουμένῃ καὶ πρὶν ἐλευθερίαν βεβαιοτέραν παραδοῦναι, καλὸς ὁ ἀγών*, ubi sane Sicilienses tantum, quibus victoria proforet, non ut antea omnes Graeci nominantur.

Postremo nobis verba „*καλὸν τὸ ἀγώνισμα*" occurrunt in cap. 86,2 cum alia quidem sententia, ac quae in fonte est, coniuncta: *ὁ γὰρ Γύλιππος καλὸν τὸ ἀγώνισμα ἐνόμιζέν οἱ εἶναι ἐπὶ τοῖς ἄλλοις καὶ τοὺς ἀντιστρατήγους κομίσαι Λακεδαιμονίοις.* Fortasse etiam eum locum scribenti Thucydidi fontis sui verborum in mentem venit.

In eorum exemplorum numero habenda est sententia ter, in captt. 51,1, 73,1 et 77,4, iterata.

In cap. 51 enim narratur, Syracusanos validos spiritus sumpsisse, cum audivissent, Athenienses abituros esse, ut vel ad internecionem eos delere constituerent, propterea quod metuerent, si in regione aliqua Siciliae Athenienses

consedissent, ne difficilius esset eos debellare; cf. verba Thucydidis: *καὶ ἅμα οὐ βουλόμενοι αὐτοὺς ἄλλοσέ ποι τῆς Σικελίας καθεζομένους χαλεπωτέρους εἶναι προςπολεμεῖν.*

Simili modo Hermocratis sententia in cap. 73, 1 disseritur: *νομίσας δεινὸν εἶναι εἰ τοσαύτη στρατιὰ κατὰ γῆν ὑποχωρήσασα καὶ καθεζομένη ποι τῆς Σικελίας βουλήσεται αὖθις σφίσι τὸν πόλεμον ποιεῖσθαι.*

Postremo eandem sententiam in contionem Niciae cap. 77, 4 translatam invenimus, explicatius sicut consentaneum est orationi: *λογίζεσθε δὲ ὅτι αὐτοί τε πόλις εὐθύς ἐστε ὅποι ἂν καθέζησθε, καὶ ἄλλη οὐδεμία ὑμᾶς τῶν ἐν Σικελίᾳ οὔτ' ἂν ἐπιόντας δέξαιτο ῥᾳδίως οὔτ' ἂν ἱδρυθέντας που ἐξαναστήσειεν.* Etiamsi autem fons ipse certius definiri nequit, tamen eum ex Syracusanis manasse constat.

Fortasse etiam ex uno fonte iterata sunt illa verba, quibus Thucydides in eodem capite 25 bis usus est de nuntiis legatorum; ac primum quidem initiŏ capitis: (*ναῦς*) *πρέσβεις ἄγουσα, ὅπως τά τε σφέτερα φράσωσιν ὅτι ἐν ἐλπίσιν εἰσίν* deinde in cap. 25, 9: *τά τε ἄλλα δηλώσαντας ὅτι ἐν ἐλπίσιν εἰσίν.*

Etiamsi igitur omnia illa iterata, quae ad singulos fontes referre conabar, non tam offendunt quam delectant, quia Thucydidis rationem operis componendi intueri permittunt, tamen, opinor, illam Thucydidis rationem tam perspicue dignoscere non liceret, nisi lima, quae omnia bene expoliret, operi abesset;[1]) quae coniectura multo etiam dilucidius confirmatur iis rebus, quas nunc afferam.

Jam illarum orationum Demosthenis et Niciae cap. 47,3

---

1) cf. Fellner „Forschung und Darstellungsweise des Thucydides gezeigt an einer Kritik des achten Buches," p. 6—7. Wien 1880.

usque ad 49,3, quas supra iam commemoravi, si diligentius inquisiveris, duas recensiones, ut ita dicam, cognosces. In cap. 47,3 enim usque ad finem capitis Demosthenis iudicium ita datur: cum frustra opes consumerentur, non esse amplius commorandum in Sicilia, sed quam celerrime domum redeundum, ut hostes ex Attica expellerent; rectam clausulam habet sententia verbis: *καὶ ὁ μὲν Δημοσθένης τοιαῦτα ἐγίγνωσκεν.*

Nicias deinde (cap. 48, 2), quamquam res suas in magnis angustiis esse vidit, tamen aperte reditum non suasit, praesertim cum ii, qui Syracusis partibus Atheniensium favebant, admonuissent, ne abiret: *καὶ (ἦν γάρ τι καὶ ἐν ταῖς Συρακούσαις βουλόμενον τοῖς Ἀθηναίοις τὰ πράγματα ἐνδοῦναι) ἐπεκηρυκεύετο ὡς αὐτὸν καὶ οὐκ εἴα ἀπανίστασθαι.* Apte claudunt sententiam verba (§ 3): *ἃ ἐπιστάμενος . . . . οὐκ ἔφη ἀπάξειν τὴν στρατιάν.*

Quamvis igitur satis edocti simus de sententiis imperatorum, tamen Nicias subinde adnectit eam orationem, in quam verba epistulae influxisse vidimus, quae finitur brevi recapitulatione, ubi eadem fere ac paulo ante in priore recensione adhibentur verba cap. 49 init.: *ὁ μὲν Νικίας τοσαῦτα λέγων ἰσχυρίζετο αἰσθόμενος τὰ ἐν ταῖς Συρακούσαις ἀκριβῶς . . . . . . ὅτι ἦν αὐτόθι πολὺ τὸ βουλόμενον τοῖς Ἀθηναίοις γίγνεσθαι τὰ πράγματα καὶ ἐπικηρυκευόμενον πρὸς αὐτὸν ὥστε μὴ ἀπανίστασθαι κτλ.*

Demosthenes autem rursus respondet ea explicatione, in qua sententias ex cap. 36 iteratas invenimus; hic quoque summa sententiae recapitulatur cap. 49, 3: *τό τε ξύμπαν εἰπεῖν, οὐδενὶ τρόπῳ οἱ ἔφη ἀρέσκειν ἐν τῷ αὐτῷ ἔτι μένειν, ἀλλ' ὅτι τάχιστα ἤδη ἐξανίστασθαι καὶ μὴ μέλλειν.*

Quae cum ita sint, puto prioribus recensionibus quasi fundamenta orationum historica contineri, alia Thucydidem ipsum ex rebus affinxisse propterea, quod in iis ipsis poste-

rioribus recensionibus sententias ex aliis fontibus sumptas deposuit. Quod si verum est, ideo Thucydidem rem sic instituisse arbitror, ut postea in opere retractando omnia in orationes directas converteret. Ex ea autem, quam nunc habemus, orationum condicione deducendum est, librum non absolutum esse.

Porro in cap. 17 narratur: rerum Siciliensium statu opportuno nuntiato Lacedaemonios et Corinthios constituisse, copias in remigiis collocatas auxilio mittere, praeterea viginti quinque naves instruere, quae impedirent, ne custodia Atheniensium, quae erat Naupacti, remigia detineret; cf. verba Thucydidis in cap. 17,4: *ναῦς τε οἱ Κορίνθιοι πέντε καὶ εἴκοσιν ἐπλήρουν, ὅπως ναυμαχίας τε ἀποπειράσωσι πρὸς τὴν ἐν τῇ Ναυπάκτῳ φυλακήν, καὶ τὰς ὁλκάδας αὐτῶν ἧσσον οἱ ἐν τῇ Ναυπάκτῳ Ἀθηναῖοι κωλύοιεν ἀπαίρειν, πρὸς τὴν σφετέραν ἀντίταξιν τῶν τριήρων τὴν φυλακὴν ποιούμενοι.*

Cum primo vere copiae mitterentur, illae naves hieme ornatae in statione ad Peloponnesum manebant, dum omnia navigia exiissent. Quibus dictis sequitur hoc additamentum in cap. 19 extr.: *οὗπερ ἕνεκα καὶ τὸ πρῶτον ἐπληρώθησαν, ὅπως μὴ οἱ Ἀθηναῖοι πρὸς τὰς ὁλκάδας μᾶλλον ἢ πρὸς τὰς τριήρεις τὸν νοῦν ἔχωσιν.*

Postremo in cap. 34 init., ubi illae naves commemorantur, additum est: (*οἱ ἐν ταῖς πέντε καὶ εἴκοσι ναυσίν*) *οἵπερ τῶν ὁλκάδων ἕνεκα τῆς ἐς Σικελίαν κομιδῆς ἀνθώρμουν πρὸς τὰς ἐν Ναυπάκτῳ ναῦς*, ubi quidem verba ad accuratam descriptionem necessaria esse apparet. Iam vero de otioso illo additamento in cap. 19 mihi adeo non convenit cum Philippio,[1]) qui quod interpretamentum sit a librario quodam ex captt. 17 et 34 sumptum

---

1) Fleckeis. annales 123 (1881) p. 99.

eiciendum esse illud censet, ut potius in eorum testimoniorum numero habeam, quibus Thucydidem extremam manum libro non admovisse demonstratur. Et haec quoque repetitio ex fonte in cap. 17 adhibito derivanda est.[1])

In cap. 42, 4 autem prorsus Thucydidi indiligentia et inconstantia tribuendae sunt. Res ita sese habet: Demosthenes, cum Syracusas summis cum auxiliis venisset, hostibus tanta virium ostentatione perterritis, tali animorum condicione utendum ratus celeri impetu ascensu Epipolarum castrisque, quae in iis erant, potiri studebat, quo facto murum transversum Syracusanorum facile expugnandum esse arbitrabatur. Vide verba Thucydidis: *καὶ ὁρῶν τὸ παρατείχισμα τῶν Συρακοσίων . . . . . ἁπλοῦν ὂν, καὶ, εἰ κρατήσειέ τις τῶν τε Ἐπιπολῶν τῆς ἀναβάσεως καὶ αὖθις τοῦ ἐν αὐταῖς στρατοπέδου, ῥᾳδίως ἂν αὐτὸ ληφθέν . . . . ἠπείγετο ἐπιθέσθαι κτλ.*

Ac primum quidem offendimur, quod castra ut nota commemorantur, de quibus usque eo nihil prodidit Thucydides, ut totum rerum conexum statim dilucide perspicere non possimus. Deinde cum appareat, eadem castra significari, quae in sequenti capite 43, 4 accuratius descripta sunt,[2]) mirum est, singula modo castra a Thucydide nomi-

---

1) Quod si verum est, etiam Cobeti (Variae lectiones[2] 1873 p. 456) iudicium, verba capitis 19, 5: *ἢ πρὸς τὰς τριήρεις* tralaticiam interpolationem esse refutandum est, cum verba cap. 19: *ὅπως μὴ οἱ Ἀθηναῖοι πρὸς τὰς ὁλκάδας μᾶλλον ἢ πρὸς τὰς τριήρεις τὸν νοῦν ἔχωσιν* breviter reddant locum capitis 17, 4: *ὅπως τὰς ὁλκάδας αὐτῶν ἧσσον οἱ ἐν τῇ Ναυπάκτῳ Ἀθηναῖοι κωλύοιεν ἀπαίρειν, πρὸς τὴν σφετέραν ἀντίταξιν τῶν τριήρων τὴν φυλακὴν ποιούμενοι.*

2) Classenus quidem cum hanc sententiam defendit, in adnotationibus ad cap. 42, 4 et 60, 2 perperam interpretatus est Grotii notam („Geschichte Griechenlands" übers. von Meissner[2] 1882 cap. 60 adnot. 36 p. 237), cum dicat, a Grotio contendi, „*στρατόπεδον*" munimenta esse Atheniensium, non Syracusanorum; exstructa, postquam Athenienses in Euryelum evasissent (Classen adn. ad 42, 4), quae postea

nari, cum in cap. 43, 4 quasi tum primum castrorum mentio fiat, tria fuisse castra Syracusanorum in Epipolis explicetur. Cum autem capiti 42 fontem Atheniensem subesse, notam vero capitis 43, 4 e Syracusano fonte manasse facile intellegatur, hanc duorum locorum discrepantiam exstitisse censendum est ex fontium diversitate, quibus non curiose a Thucydide conglutinatis librum non satis expolitum esse rursus patet.

Parvulae notae subsidio sunt rationi meae: In cap. 31, 4 enim duodeviginti naves ad Naupactum statutae commemorantur, cum paulo supra in cap. 19, 5 viginti naves ibi fuisse narratum sit, quae, qua re comminutae sint, nusquam a Thucydide nobis proditur. Cum autem alium fontem in cap. 19, alium in cap. 31 eminere facile videamus, hic quoque rerum diversitatem ex diversitate fontium deducendam esse censeo. Immo Thucydidis indiligentia notanda est, cum nihil certi nobis dederit.

Idem iudicandum est de cap. 34, 3, ubi Atheniensium naves ad Naupactum fuisse triginta tres, quamquam ex cap. 31, 4, ubi Atheniensium naves duodeviginti aliis decem auctas esse dictum est, sequitur viginti octo naves fuisse.

„τὰ ἄνω τείχη" vocata demum ante extremam pugnam dereliquissent (adn. ad 60, 2)

Sed si accurate Grotii notam inspexeris, cognosces, Grotium hic sententias virorum illustrium Gölleri et Arnoldii refutare, qui declaraverant, „στρατόπεδον" nostro loco esse eam partem duplicis muri, quae erat in ascensu Epipolarum, quam Athenienses muro transverso Syracusanorum perfecto statim reliquissent et in inferiorem operum suorum partem se recepissent.

Et contra eos enixe Grotius contendit, id quod Classenus ipse vult, et „τὰ ἄνω τείχη" id est septentrionalem muri partem multo demum post ab Atheniensibus relictam esse, et „στρατόπεδον" in ea parte Epipolarum situm esse, quam quidem Athenienses Labdalum castellum communientes obtinuerant, donec Gylippus advenerat, qui Labdalo expugnato (cf. Thucyd. VII, 3, 4) castra Syracusanorum ibi statuerat.

Ad coniecturam, librum septimum esse imperfectum, confirmandam etiam id adsciscendum est, quod Herwerdenus[1]) animadvertit: Hunc locum, cap. 30, 4: τὰ μὲν κατὰ τὴν Μυκαλησσὸν πάθει χρησαμένην οὐδενὸς ὡς ἐπὶ μεγέθει τῶν κατὰ τὸν πόλεμον ἧσσον ὀλοφύρασθαι ἀξίῳ τοιαῦτα ξυνέβη. repetitionem esse capitis 29 extr., quo loco multo aptiore iam satis calamitas oppidi deplorata sit: καὶ ξυμφορὰ τῇ πόλει πάσῃ οὐδεμιᾶς ἥσσων μᾶλλον ἑτέρας ἀδόκητός τε ἐπέπεσεν αὕτη καὶ δεινή. Quamquam id, quod conicit ex verbis capitis 30 ὡς ἐπὶ μεγέθει pro verbis alias usitatis ὡς πρὸς τὸ μέγεθος alium auctorem prodi non probo; immo concedendum est, melius in unam sententiam illos duos locos coagmentandos fuisse.

Atque etiam nonnulla eorum, quibus Cwiklinski[2]) utitur, ut rationem suam de libris VI et VII singulariter compositis posteaque demum toti operi insertis confirmet, mea facio, quamvis id ipsum, quo tota explicatio tendit, a Herbstio[3]), Fischero[4]), Fabero[5]) prorsus refutatum esse credam. In ratione autem sua persequenda Cwiklinski asperitates quasdam libri VII affert, quas Thucydidi morte impedito, ne opus suum accurate retractaret, dandas esse arbitratur. Sic offenditur omnibus locis, qui more chronicorum conexum narrationis interrumpentes res in ipsa Graecia gestas memorant. Ex quibus locum exhibeo maxime notabilem: cap. 9, cuius iterata initio ἐν δὲ τῷ αὐτῷ θέρει τελευτῶντι et in cap. extr. καὶ τὸ θέρος ἐτελεύτα, brevi intervallo separata Herwerdenus[6]) quidem tam graviter

---

1) Mnemosyne Nov. Ser. I, (1873) p. 175.
2) Hermes, XII, p. 23—87.
3) Philol. 1881 p. 355—369.
4) Ztschrft. f. oesterr. Gymnas. 1881 p. 241—260.
5) Quaestiones Thucydideae Diss. Marburg 1885.
6) edit. p. IV.

fert, ut posterius illud enuntiatum eici velit. Ad quod caput recte etiam adnotat Faber [1]), Thucydidem commemorantem, Perdiccam fuisse socium Atheniensium, cum in libri VI cap. 7,3 et 4 legatur, eum hostem Atheniensium fuisse, neglexisse addere, quo modo rursus foedus factum esset.

Recte quoque monet Cwiklinski [2]), in captt. 17,3 et 18,4 iisdem fere verbis consilium Peloponnesiorum, ut auxilia in Siciliam mitterent, exprimi [3]) in cap. 17,3: *οἱ γὰρ Κορίνθιοι . . . . πολλῷ μᾶλλον ἐπέρρωντο, καὶ ἐν ὁλκάσι παρεσκευάζοντο αὐτοί τε ἀποστελοῦντες ὁπλίτας ἐς τὴν Σικελίαν καὶ ἐκ τῆς ἄλλης Πελοποννήσου οἱ Λακεδαιμόνιοι τῷ αὐτῷ τρόπῳ πέμψοντες*; et in cap. 18,4: (*οἱ Λακεδαιμόνιοι*) *καὶ τοῖς ἐν τῇ Σικελίᾳ ἅμα ὡς ἀποπέμψοντες ἐν ταῖς ὁλκάσιν ἐπικουρίαν αὐτοί τε ἐπόριζον καὶ τοὺς ἄλλους Πελοποννησίους προςηνάγκαζον.* Quam Thucydidis indiligentiam ita intellegi velim: Thucydidem, cum duos fontes haberet, uni alterum apposuisse, sed ita, ut ad Corinthium fortasse fontem in cap. 17 haec verba: *καὶ ἐκ τῆς ἄλλης Πελοποννήσου οἱ Λακεδαιμόνιοι τῷ αὐτῷ τρόπῳ πέμψοντες* iam adderet ex fonte capitis 18, quem tamen postea posuit; sic facile ex *ὡς ἀποπέμψοντες* illud abundans *πέμψοντες* in cap. 17 exsistere potuit, quod tum igitur non delendum est cum Herwerdeno [4]), quem Stahlius in editione sua secutus est.

Deinde longam illam verborum comprehensionem in cap. 28, a verbis: *μάλιστά γ' αὐτοὺς ἐπίεζε* (§ 3) usque

---

1) l. l. p. 8.

2) l. l. p. 77.

3) Quamquam eundem virum adnotantem, nusquam apud Thucydidem narrari, quando auxilia in Siciliam pervenerint, quid effecerint, fugisse videtur, quod in cap. 50 longi auxiliorum in mari errores eorumque adventus descripti sunt, quo tantus terror iniciebatur Atheniensibus, ut stat im Syracusas relinquere constituerent.

4) Studia Thucydidea 1869. p. 93.

ad verba: *ἐγένοντο τοῖς χρήμασι* (§ 4), in qua restituenda multi viri doctissimi desudarunt, cum longe Cwiklinski[1]) explicarit, quibus ineptiis laboret, tamen recte Thucydidi tribuit[2]) propter hanc potissimum causam, quod interpolator vix verbum praedicativum praetermisisset.

Etiam ex iis, quae Cwiklinski[3]) ad cap. 56 extr. adnotat, illud quidem sumendum est, ineptissime eo ipso loco, ubi summis laudibus Syracusani efferuntur in § 3: *καὶ ἦν δὲ ἄξιος ὁ ἀγὼν κατά τε ταῦτα καὶ ὅτι οὐχὶ Ἀθηναίων μόνων περιεγίγνοντο, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων πολλῶν ξυμμάχων, καὶ οὐδ' αὐτοὶ αὖ μόνοι, ἀλλὰ καὶ μετὰ τῶν ξυμβοηθησάντων σφίσιν*, hanc gloriam detrectari verbis: *οὐδ'*

---

1) l. c. p. 67—76.

2) Müller-Strübing (Thukydideische Forschungen p. 28 ff, Wien 1881) non modo eam, quam Cwikliński tractavit, capitis 28 partem, sed etiam insequens enuntiatum usque ad finem capitis a librario quodam confectum esse dicit, idque propter vestigal (*εἰκοστὴ τῶν κατὰ θάλασσαν*) commemoratum, quod pro tributo sociis impositum esse edocemur. Quod tunc temporis vix fieri potuisse, longa causarum historicarum explicatione Müller-Strübing disserit. Equidem magis inclino sententiam sequi, quam Gilbertus in priore libro „Beiträge zur innern Geschichte Athens" Lips. 1877 p. 285 ff. explicavit et postremo paululum temperatam deposuit in libro, qui inscribitur „Handbuch der griech. Staatsaltert." tom. I Lips. 1881, p. 332 adn. 4: non in omnibus sed certe in nonnullis civitatibus foederatis illud vectigal institutum esse. Cum autem locus capitis 28, 4: *καὶ τὴν εἰκοστὴν ὑπὸ τοῦτον τὸν χρόνον τῶν κατὰ θάλασσαν ἀντὶ τοῦ φόρου τοῖς ὑπηκόοις ἐποίησαν.* ita intellegendus sit, omnibus sociis *εἰκοστὴν* impositam esse, potius Thucydidi indiligentiam tribuerim, quam ut cum Müllero-Strübing totum enuntiatum a librario quodam interpolatum esse putem.
Etiam enuntiati in cap. 27, 4: *πρότερον μὲν γὰρ βραχεῖαι γιγνόμεναι αἱ ἐσβολαὶ τὸν ἄλλον χρόνον τῆς γῆς ἀπολαύειν οὐκ ἐκώλυον.* Müller-Strübing (l. c. p. 35) Thucydidem auctorem esse negat, cum agro semel vastato Athenienses fruges percipere non potuissent. Alias causas, cur totum cap. 27 insiticium esse censeat, alio loco se adlaturum esse pollicetur.

3) l. c. p. 65.

αὐτοὶ αὖ μόνοι, ut Herwerdenus quidem etiam haec verba: *οὐδ' αὐτοί αὖ μόνοι ἀλλὰ καὶ* in editione sua deleat.

Et extrema verba capitis 56: (*ἔθνη γὰρ πλεῖστα δὴ ἐπὶ μίαν πόλιν ταύτην ξυνῆλθε*) *πλήν γε δὴ τοῦ ξύμπαντος ὄχλου τοῦ ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρὸς τὴν Ἀθηναίων τε πόλιν καὶ Λακεδαιμονίων* Philippium[1]) ita offenderunt, ut abesse ea malit. Herwerdenus quidem, ut sententiam concinnet, post verbum *Λακεδαιμονίων*, id quod Badham[2]) jam proposuerat, in textum recepit *ξυλλεγέντος* idque item frustra.

Omnes igitur illi loci, cum nemo iure eos Thucydidi abrogare possit, me demonstrantem librum VII non absolutum esse adiuvant.

In hac igitur libri imperfecta condicione multas illas virorum doctorum emendationes non modo non accipio, sed contra in favorem sententiae meae verto, librum extrema manu carere. Ante omnia verborum abundantiam, quae etiam exstat in imperfecto libro VIII[3]), in meum usum vindico. Cuius exempla nonnulla dabo:

In cap. 1,5: *ναυτῶν καὶ ἐπιβατῶν*, ubi *καὶ ἐπιβατῶν* Badhamus[4]) eumque sequens Herwerdenus delent. Similiter exstant in cap. 70, 5: *οἱ ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων* et subinde *οἱ ἐπιβάται* in una eademque sententia: *καὶ ὅσον μὲν χρόνον προσφέροιτο ναῦς, οἱ ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων τοῖς ἀκοντίοις καὶ τοξεύμασι καὶ λίθοις ἀφθόνως ἐπ' αὐτὴν ἐχρῶντο· ἐπειδὴ δὲ προσμίξειαν, οἱ ἐπιβάται ἐς χεῖρας ἰόντες ἐπειρῶντο ταῖς ἀλλήλων ναυσὶν ἐπιβαίνειν*; quae duo enuntiata quod idem significant, hoc *οἱ ἐπιβάται* a Pluygersio[5]) et Herwerdeno[6])

---

1) Fleckeis. ann. 123 (1881) p. 100.

2) Mnemosyne Nov. Ser. IV (1876) p. 142.

3) Cf. Jerzykowski „octavo historiae Thucydideae libro extremam manum non accessisse demonstratur." Diss. Breslau 1842 p. 21 ff.

4) Mnem. Nov. S. IV (1876) p. 138.

5) Mnem. XI (1862) p. 96.

6) Mnem. N. S. I (1873) p. 179.

pro insiticio ductum est. Atque haud scio an illud *ἄνευ τῶν ἀσπίδων* post vocem *ψιλοί* in cap. 45, quod omnes fere, Stahlius Classenus Herwerdenus eici volunt, a Thucydide ipso additum sit.

In cap. 6, 4 invenimus verbose dictum: *καὶ τῇ ἐπιούσῃ νυκτὶ ἔφθασαν παροικοδομήσαντες καὶ παρελθόντες τὴν τῶν Ἀθηναίων οἰκοδομίαν*, cuius enuntiati verba *καὶ παρελθόντες τὴν τῶν Ἀθηναίων οἰκοδομίαν* suspecta habent Stahlius et Herwerdenus, Bekkerum sequentes; quae vero etiam aliis ex causis Thucydidi non abiudicanda esse rectissime contendit Steinbergius[1]), cum moneat, *παρά* praepositionem verbi *παροικοδομεῖν* significare „prope, propter", non, ut efflagitat sensus „praeter", quod inest in *παρελθεῖν*. Si igitur non additum esset *καὶ παρελθόντες* hic locus vero sensu careret. Tum autem miror, quod, si modo quid expungere voluerunt, non expunxerunt *παροικοδομήσαντες καί*.

Sic etiam verba illa in cap. 7, 3: (*ὅπως στρατιὰ ἔτι περαιωθῇ τρόπῳ ᾧ ἄν*), *ἐν ὁλκάσιν ἢ πλοίοις ἢ ἄλλως ὅπως ἂν* ab omnibus fere, Bekkero, Stahlio, Herwerdeno, deleta non solum servanda sunt, quod ut verbosum additamentum libri condicione excusantur, sed etiam quod Thucydides hoc iam loco fortasse praedicere voluit, quo modo auxilia postea in Siciliam transvecta sint. Nam omnibus posterioribus locis, quibus de auxiliis agitur in captt. 17, 3; 18, 4; 19, 3; 25, 3; 50, 1 semper accurate additur, ea *ἐν ὁλκάσι* missa esse.

Et in cap. 8, 1 supervacaneum est in sententia: *ἔπεμπε καὶ αὐτὸς ἐς τὰς Ἀθήνας ἀγγέλλων πολλάκις μὲν καὶ ἄλλοτε καθ' ἕκαστα τῶν γιγνομένων μάλιστα δὲ καὶ τότε, νομίζων ἐν δεινοῖς τε εἶναι* verbum *νομίζων*, quod Cobetus[2]) quidem abesse vult; sed retinendum est, item hoc

---

1) Ztschrft. für Gymnasial-Wesen 21 (1867) p. 720.
2) Variae lectiones ² 1873, p. 455.

enuntiatum in cap. 8, 3: (καὶ οἱ μὲν ᾤχοντο) φέροντες οὓς ἀπέστειλε τὰ γράμματα καὶ ὅσα ἔδει αὐτοὺς εἰπεῖν, quod totum elidit Herwerdenus; alii viri doctissimi, Pluygers[1]), Stahl, Philippi[2]), satis habebant operam navare in verbis οὓς ἀπέστειλε corrigendis.

Huc adsciscenda est crebra eorundem verborum repetitio, sicut in cap. 19, 3, 4 ὁπλίτας quater positum est, deinde in cap. 48, 4, 5, 6 vox ἔφη ter repetitum, quae omnia verba Herwerdenus quidem in editione sua uncis saepsit.

In cap. 36, 4: τοῖς δὲ Ἀθηναίοις οὐκ ἔσεσθαι σφῶν ἐν στενοχωρίᾳ οὔτε περίπλουν οὔτε διέκπλουν . . . . αὐτοὶ γὰρ κατὰ τὸ δυνατὸν τὸ μὲν οὐ δώσειν, διεκπλεῖν, τὸ δὲ τὴν στενοχωρίαν κωλύσειν ὥστε μὴ περιπλεῖν. abundant διεκπλεῖν et ὥστε μὴ περιπλεῖν, quae secludunt Stahlius et Herwerdenus.

Etiam cum legamus in cap. 53,3 et 53,4 bis idem δείσαντες περὶ ταῖς ναυσίν, utrumque, etiamsi obstat Herwerdenus, qui voculas in cap. 53,4 eliminat, tamen, quia ad suum quidque locum quadrat, Thucydidi tribuemus, item in eodem capite τὴν ναῦν (§ 4) post ὁλκάδα παλαιὰν repetitum: καὶ ἐπὶ τὰς λοιπὰς ἐμπρῆσαι βουλόμενοι ὁλκάδα παλαιὰν κληματίδων καὶ δᾳδὸς γεμίσαντες . . . . ἀφεῖσαν τὴν ναῦν πῦρ ἐμβαλόντες, quamquam Badhamus[1]) illud esse glossema censuit, quem secutus est Classenus.

Neque inaccuratum sane enuntiatum in cap. 53,4: (ἀντεμηχανήσαντό τε σβεστήρια κωλύματα) καὶ παύσαντες τὴν φλόγα καὶ τὸ μὴ προςελθεῖν ἐγγὺς τὴν ὁλκάδα τοῦ κινδύνου ἀπηλλάγησαν cum Badhamo,[3]) quem sequitur Herwerdenus mutabimus in: καὶ τὸ μὴ προςελθεῖν ἐγγὺς τὴν ὁλκάδα καὶ

1) Muemos. 1862. p. 93.
2) Fleckeis. ann. 123. (1881) p. 98.
3) Muemos. N. S. IV (1876) p. 141.

παύσαντες τὴν φλόγα τοῦ κινδύνου ἀπηλλάγησαν. Philippi[1]) quidem ita offenditur locatione verborum: καὶ τὸ μὴ προςελθεῖν ἐγγὺς τὴν ὁλκάδα, ut glossema esse ea ad τοῦ κινδύνου adscriptum interpretans eiciat.

Sed satis habeo illa specimina attulisse: hoc enim quaestione mea effectum esse volo, ut, cum opus imperfectum in manibus habeamus, summa indulgentia textum recensere debeamus, ne Thucydidem ipsum pro manuscriptis corrigere videamur. Itaque in textu recensendo quam accuratissime sequendus est archetypus, ad quem inter eos codices, qui adhuc innotuerunt, Laurentianum proxime accedere mihi persuasum habeo.

Ac ne illa quidem, quae omnes fere adhuc editores eiecerunt, verba in cap. 2,4: τοῦ κύκλου πρὸς τὸν Τρώγιλον Thucydidi abiudicanda esse, Conradtius[2]) me docuit. Qui optime ex sententia demonstrasse mihi videtur, nullum locum cogere cum Grotio accipere, κύκλος esse rotundum aliquod castellum. Quam significationem cum nusquam apud scriptores voci illi fuisse videam, non intellego, quomodo Thucydides in lib. VI cap. 98,2 statim sine accurata explicatione hoc sensu ponere potuerit: τὸν κύκλον, ubi articulo adscripto celeberrimam illam Atheniensium circumvallationem Syracusarum denotari recte Conradtius animadvertit. Tum vero non est, cur verba, quae obstant Grotii sententiae, in libri VII cap. 2,4: τοῦ κύκλου πρὸς τὸν Τρώγιλον deleantur.

Non aeque cum Conradtio consentio de muro transverso Syracusanorum, quem ad meridionalem Epipolarum ascensum porrectum fuisse dicit.[3]) In ea re Grotium[4]) sequor, qui ad septentrionalem ascensum murum pertinuisse

---

1) Fleckeis. ann. 123 p. 101.

2) Fleckeis. ann. 129 (1883) p. 535—38.

3) l. p. pag. 537—38.

4) Geschichte Griechenlands, übersetzt von Meissner [2] 1882 Bd. IV p. 710.

ostendit et ex duabus partibus constitisse: una ab urbe trans opera Atheniensium ducebatur, ad quam altera ab Euryelo inchoata applicata est. Quod si tenemus, verba quoque capitis 7, 2: ξυνετείχισαν τὸ λοιπὸν τοῖς Συρακοσίοις μέχρι τοῦ ἐγκαρσίου τείχους perspicua fiunt: „communiverunt reliquam partem muri ab Euryelo ducti usque ad murum ab urbe inchoatum,“ ergo μέχρι vocula, ab omnibus fere editoribus eiecta, retinenda est.

Jam ut huic dissertationi clausulam imponam, locum libri VII mihi sanare liceat, qui est in cap. 2, 4. Ibi enim narratur, Gylippum eo ipso tempore Syracusas advenisse, ἐν ᾧ ἑπτὰ μὲν ἢ ὀκτὼ σταδίων ἤδη ἀπετετέλεστο τοῖς Ἀθηναίοις ἐς τὸν μέγαν λιμένα διπλοῦν τεῖχος πλὴν κατὰ βραχύ τι τὸ πρὸς τὴν θάλασσαν· τοῦτο δ' ἔτι ᾠκοδόμουν.

Omnes fere editores verba: ἑπτὰ μὲν ἢ ὀκτὼ σταδίων non moverunt praeter unum Classenum, qui ea ut insiticia uncis inclusit, offensus et incommoda verborum, praecipue particulae μέν, locatione et eo, quod omnino mensura muri addatur hoc ipso loco, ubi murum prope abesse a perfectione dicatur. Sed multo gravius argumentum praeterea me commovet, ut illa verba in hoc conexu retinenda esse negem. Cum enim διπλοῦν τεῖχος prorsus significet totum murum a loco, qui Συκῆ vocatur, usque ad magnum portum,[1]) non, sicut Holmius[2]) et Stahlius[3]) putant, partem muri ab ascensu Epipolarum usque ad magnum portum

---

1) Id quod iam elucet ex enuntiato opposito: τῷ δὲ ἄλλῳ τοῦ κύκλου πρὸς τὸν Τρώγιλον κτλ., quod, etiam verbis τοῦ κύκλου πρὸς τὸν Τρώγιλον non retentis, ad lib. VI cap. 99, 1 respectare constat, ubi quidem id spatium significatur, quod erat inter Συκῆν et Trogilum qui vocatur.

2) „Geschichte Siciliens im Alterthum“ tom. II. Lips. 1874 p. 392.

3) in altera editione Thucydidis, a Poppone explan. Vol. IV. Sect. I Lips. 1882 p. 206.

porrectam, mensura illius muri: ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ σταδίων pro longitudine minor notata est, quem murum cuique chartam geographicam emetienti patebit ca. viginti quattuor stadia amplecti, vel etiam plura, si Συκῆ, qui locus ubi fuerit in dubio est, altius quam chartae designant, in septentrionem transponitur. Equidem igitur illa verba non eicienda esse censeo, sed cum errorem librario subrepsisse putem, ut ex insequenti codicis linea ea verba transscriberet, post voces κατὰ βραχύ τι restituenda, ubi ad pronomen infinitum τὶ optime quadrat ambiguum indicium: ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ σταδίων, ut hic sit textus: ἐν ᾧ ἤδη ἀπετετέλεστο τοῖς Ἀθηναίοις ἐς τὸν μέγαν λιμένα διπλοῦν τεῖχος πλὴν κατὰ βραχύ τι ἑπτὰ μὲν ἢ ὀκτὼ σταδίων τὸ πρὸς τὴν θάλασσαν. τοῦτο δ' ἔτι ᾠκοδόμουν.

Et hac mea lectione accepta particula quoque μέν post vocem ἑπτά meliorem habet apodosin in insequenti δέ enuntiati: τοῦτο δ' ἔτι ᾠκοδόμουν, quam sicut Classenus vult, in posterioris demum enuntiati particula: τῷ δὲ ἄλλῳ τοῦ κύκλου κτλ.

Hoc autem offendere non potest, quod Thucydides spatium septem vel octo stadiorum verbis βραχύ τι significarit; id enim vel Thucydides in comparatione totius muri facere potuit; vel haud scio an ex incerto mensurae indicio: ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ σταδίων colligendum sit, Thucydidem in stadiis enotandis paululum errasse, ut nimium numerum facile poneret.



Theses.

Scribendum puto

1. Apulei. Metam. V,4: novitas per assiduam consuetudinem **in** delectationem **se commutarat.**

2. Propert. lib. I, 5,7:

   Non est illa vagis similis **irata** puellis.



VITA.

Natus sum, Franz Schroeter, a. d. VI. Id. Febr. anni h. s. LXIV in vico Borussiae occidentalis, qui dicitur Gr. Lesewitz, prope Marienburg sito, patre Otto et matre Bertha de gente Oelrich, quos adhuc vivos veneror. Fidei adscriptus sum evangelicae. Anno h. s. LXXI in gymnasium Marienburgense receptus sum, quod testimonio maturitatis instructus anno h. s. LXXXII reliqui. Studiis philologicis me dedi in quattuor universitatibus: Lipsiae per duo semestria, Berolini per sex menses, Heidelbergae per sex menses, Regimonti per quinque semestria. Audivi hos professores clarissimos:

***Lipsiae:* Brugman, G. Curtius †, Drobisch, Hirzel, Lipsius, Ribbeck, Schreiber.**

***Berolini:* Kirchhoff, Lommatzsch, Maercker, Scherer †, Vahlen, Zeller.**

***Heidelbergae:* Brandt, Caspari, Fischer, Uhlig, Wachsmuth.**

***Regimonti:* Friedlaender, Hirschfeld, Jeep, Jordan †, Ludwich, Ruehl, Schade, Schubert, Walter.**

quibus ago agamque semper gratias quam maximas.

